

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 7 (Fecunda
sententiis et facunda verbis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 7 (Fecunda
sententiis et facunda verbis...)*

1248

Fecunda sententiis et facunda verbis multoque festiva decore littera vestra nuper intravit ad mei carceris laberinthum magnum mihi inter angustias solacium prestitura, quam libenter manus mea recepit receptam perlegit oculus perlectam animus intellexit, sed intellectam miratus est cum stupore pro eo, quod eius actorem trans hominem sapere testabatur. Non est rudis opificis opus taliter expoliturum, non redolent illa verba sciendam puerilem, non posset formica parere tantum fetum, non ab arido flumine derivari, a fructu novi propriam arboris qualitatem, a vini sapore conicio vegetem incorruptam. Quod miris verumtamen laudibus pregnantem gerebat uterum, quas velut asseruit, de semine fame concepit, vestram super boc industriam ipsa fama volatilis non frustretur, que vana frequenter et rei nescia transcendit yperbolice limitem veritatis, vagatur improvide, discurrit incaute, fingit et pingit deformibus rebus formas, falsam pro vera monetam expendit, stagnum sobbisticat pro argento, cuprum pro auro predicat et largitur furfurem pro farina. Quomodo est sciencia virtus nobilis, thesaurus inextimabilis et possessio preciosa, mecum sederet in hoc exilio captivata, cuius pro tribulacionibus sensus non sentiunt, hebet mens et ingenium est obtusum. Vos igitur, cuius torrens affluenter inundat, rigari meo tenui rivulo non oportet. Vos, cuius fontem vinum iam comperi scaturire, non egetis turbido cisternule mee potu. Qui bravium obtinet, illud a non habentibus non expectat et opus firmum non indiget fulcimento, sed quod vos demum rogatis a me doctrinam, ut obmissis pluribus ad litteram veniatur, Cresus a Codro mendicat aurum, Paris a Dario speciem concupiscit, vitis uvas exigit a labrusca et ad fructum oliva fertilis sterilem invocatur oleastrum.

Ego vero, vas vacuum et fumigans lignum, versa vice vobis singula repeto, que petistis de reo, constituens me actorem. Utinam vestram personam, quam velut per speculum in enigmate contemplor ymagine peregrina, possem corporeis oculis intueri, quod vos, bone palmiti, qui palmam virtutum geritis et de viciis triumphatis, de oleo vestro presenciali in mea lampade poneretis illuminantes lucernam meam et sapientie vestre liquorem meum in animum transfundentes, qui procul dubio totus est vester et esse potest, cum vinculis non ligetur. Illud autem faciat dominus, illud addat, quod animus et persona vivere simul in brevi queant vestris in obsequiis, non tamen in exequiis exerceri.